Amare propter amorem.

mortales, cùm non entis nullatenus ſint paſſiones: & egregiè in eſſe nihili, aut non eſſe datur eſſe; ut in amore floreret amare propter amorem, cùm diligeret tunc hominem propter ſolam voluntatem.

Cæterò. Si haberent eſſe; arbitrarentur, amorem propter illos operari ad eſſe ſic; & minimè propter ſe: neque dilectionem in homines dilectione duci; ſed quia habebant licèt ab illo venuſtiſsimum eſſe. Amor non qualis, qualis erat, ſed eximius, excludens cauſam, ob cuius præſtantiam erant, ut diligerentur ante exiſtentiam. Prior ille dilexit: ut præclarum erga ſe intuerentur amorem, in eſſe ſine eſſe tantùm propter charitatem.

Finis voluntatis amor amoris

Ulterius: habilitas ineſſet gaudentibus eſſe, ut reſponderent tanta dignatione amori. Rationalis utique creatura gratitudine quit rependere, ac corde affecto, quod debet inæſtimabili beneficio; & diligit amor ante conſtitutionem, ubi non eſt eſſe, nec poſſunt conſtituendi reſpondere beneficio amori; ut poſt creationem perciperent illa charitate eximia, dilectos fuiſſe à Deo abſque minima cauſa. Ante eſſe dilexit; poſt eſſe dilexit cùm dilexiſſet: & profectò ipſis fidei demonſtrationibus claret, quòd dilexit, non alio ductus in illa dilectione, niſi quia voluit.

Sine ſpe gratitudinis.

Iſai. 53. 7.

7 *Quia ipſe voluit*, ait Evangelicus Vates, oblatus eſt Chriſtus in redemptionem prævaricationum, & prævaricatorum. Tot paſsiones, tot iniurias, tot ludibria, quot cogitaverunt impij, paſſus eſt: ſed enim paſſus eſt, quia voluit pati. Paſſus eſt quicquid illi voluerunt, verùm quia voluerunt non eſt paſſus. Propter nos homines paſſus eſt, & propter noſtram ſalutem: cæterùm omnia pro hominibus paſſus eſt propter amorem. *Quia voluit*. Cauſalis eſt particula *Quia*: & *quia voluit* pati, dicit Propheta; quippequàm licèt videretur ab hominibus invitus, vita noſtra in voluntate eius.

Chriſtus dilexit, quia voluit.

Quia voluit. Iam micat cauſa. Utique: ſed in volente, volentis; quoniam volenti non eſt cauſa præter cauſam dilectionis. *Quia voluit*. Qua lege Propheta pro ratione movente ad dilectionem, ipſam motam, allectam ſignat & volentem voluntatem? Iudicium fit de hominis cervicoſa ingratitudine; & fide eximia coruſcante in Chriſti ignivomo pectore. Velle, ſpectat ad indifferentiam voluntatis motæ & percitæ à ducente ratione. Hæc eſt enim voluntatis cæcæ lumen: & pro ratione & cauſà proponitur tantùm *voluit*, attinens ad voluntatem; quia non alia cauſa interfuit, qua ſe traderet propter hominem morti; niſi quia voluit ultrò propter hominem pati.

Voluntas eſt cauſa divini erga nos amoris.

8 Hoc ſtudium amoris præconizatur à Paulo. *Commendat* (ait) *charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus* ::: *Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Commendet: igitur maiorem charitatem nemo habet. Perpende. Pro ſumma charitatis hieroglyphico exponitur imago Pellicani, pullos emortuos vivificantis cruore, cum lemmate: *His qui diligunt*. Videſis Achillem Bocchium in *Quæſt. Symbolic.* 131. Silveſtrum à Petra-Sancta de *Symbol. Heroyc. lib.* 6. & Philippum Picinellum in *Mundo Symbolic. lib.* 4. *cap.* 52. *num.* 535. qui in rem accinit ita:

Rom. 5. 8.

Pellicanus amoris emblema.

Achill. Bocch.

Petra-Sanct.

Philip. Picinel.

Pullos illa ſuos, monſtrum mirabile dictu,
Aſpera quos ſerpens morſu necare ſolet;
Ab latere incuſſo atq́ inſperſo ſanguine nidis
Dicitur in vitam reſtituiſſe ſuo.

Sic his qui diligunt. Nonne illuſtrius facinus? Non. Chriſtus non ſic. Sanguinem dedit lythrum, & contravenenum, non his qui diligunt, ſed his qui oderunt. Ergo peripſema pro omnibus nobis factus; cùm adhuc inimici (quia peccatores) eſſemus.

Amor erga inimicos augustior.

Altius, opinor, commendatur charitas. Chriſtus pro nobis moritur, cùm ſub iugo diaboli teneretur humana fragilitas. Pondus profectò dilectionis maximum, & adhuc latet admirabile myſterium. *Quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus.* Ecca teſſera inſignioris charitatis. Si non eſſemus, eſſet charitas & magna erga hominem: maxima verò cùm eſſemus, ſic Deo commendante charitatem. Verùm quare? Obiectum charitatis eſt bonum: cùm eſſemus peccatores, ex bonis intererat nullum: & eò duntaxàt amor ducitur, quò charitas commendetur: igitur ſi in peccatores exhibuit mirificam charitatem, cauſam haud habuit ullam, præter dilectionem. In originem recurrit fons amoris: quia voluit amare, nos dilexit: igitur ille peccatores odit. Quia voluit, dilexit: ſi peccatores dilexit, amare duntaxàt voluit.

Maxima charitas, ut erga malos verſatur voluntas.

9 Hinc ſtabilitur potentia & cathedra charitatis, ut homines diſcant etiam ditionem amoris. Vel nomen homines dilectionis ignorant, & ſtudent quibus neſciant. *Sciens* plauditur Aſſertor N. in lotione pedum diſcipulorum. Quo in iactu dicit Petro: *Neſcis modò*. Neſcit Petrus inaudita demonſtratione reperculſus. Neſcit (niſi fallar) quia cognoſcit. Haud motivum, vel minimum introſpicit, ut Chriſtus pedes diſcipulorum lavet. *Tu mihi lavas pedes? Tu mihi!* In humilitatis pelago peribat naufraga ratio. *Tu*, & *mihi*! Quis ſum ego? Tenerrimus ligni vermiculus, & tipula rationalis. Tu? Quantus es! Ut exceſſum demonſtrationis exprimeret, etiam admiratio defuit. Cæſpitat ingenium Petri cogitationi-

Ioã. 13. 1.

Verſ. 7.

Verſ. 6.

bus, titubat verbis. *Tu*, & *mihi*! Potiùs cogitanda, quàm loquenda: ne fortè quod concipit ſubtiliter anima, eloquens perturbet interpretatione lingua. Hoc eſt neſcire, vel altiora ſapere? Neſcire. Aliquá causà cogitabat Chriſti percellendum amorem; ut exhiberet erga homines fidem ita ſingularem: quam non inveniens expavit, & vox loquendo defecit. Unde Chriſtus vocat Petrum mira cogitãtem, omninò neſcientem; quia cognoſcens neſcit eius amorem: igitur Chriſtus ad diligendos homines confecit cauſam, ex hoc uno tantum, quòd non invenerit ullam.

Divinus amor nõ cognoſcitur, ſi alia cauſa preter amorem à dilecto cogitatur

Ibid.

Deinde. *Quod ego facio, neſcis modò, ſcies autem poſtea.* Cur poſtea? Pòſt ab effectu ſapit, quia uſum dilectionis vidit. Poſtea Petrus defecit: & cognovit perſpicax, nullam cauſam affuiſſe, in tanta charitatis profuſione. Didicit per ignorantiam, quicquid neſcierat per humanam ſapientiam: igitur amor, qui homines peccatores quæſivit; non inveniens cauſam, cauſam invenit. *Scies autem poſtea.* Quando? Ex altiſsima inexcogitabili exhibitione obſequij, firmidinem fidei à Petro poterat expectari; & ille ex ſemetipſo, eſſe neſcientem ſapienter didicit: ſiquidem eximiam Chriſti dilectionem agnoſcens; nec fidem habuit. Petrus neſcit, verùm Ieſus ſciens illo in articulo diligit; poſteaque Petrus cognoſcit. Iam vertex Apoſtolatus callet potiſsimam ſine cauſa cauſam amoris, & cordis in infidos libenter æſtuantis: igitur Petrus temerat fidem, quam neſciens arroganter promiſit; & Ieſus ſciens etiam defecturam, dilexit.

Defecturos etiam ambit.

10 Ni vellis argumentum ſummæ ſubtilitatis audire ex cathredra amoris. Actio crucifigentium peſsima, paſsio erat crucifixi ſanctiſsima. Adi N. Ioann. Baptiſtam Larditum Doctorem clariſsimum, ingenioſè differentem *Tom.* 1. in S. Anſelm. *Tractat.* 12. *dub.* 5. §. 2. Plurimi igitur debet eſſe, quòd ita amor præſcinderet opus redemptionis ob lythrum ſanguinis; ut procederet paſsio mirifica ab actione prorsùs ſceleratà. Ideo dicitur: *Ut faciat opus ſuum, peregrinum opus eius ab eo. Peregrinum*, quia ab externo mors illata: *Opus eius*, quia ab amore ſic ſuſcepta; ut iaceret diro vulnere occiſus, qui priuſquàm moreretur, à corde vivebat mortuus. Hoc eſt *Charitatis ingenium*, quod alibi Paulus exponit, dicens: *Supereminentem ſcientiæ charitatem*, implentem omnem plenitudinem; quoniam Chriſtus (ut dicitur de Alexandro) decidens in lectulum, ubi clavis, fallor, amore figitur; non per doloris, ſed per charitatis ſcientiam, *cognovit, quia moreretur.* Mortis & amoris commutantur ſagittæ. Vide Ioachimum Bellacium, Andr. Alciat. *Emble.* 154. & Claud. Minoën hìc. Adeo enim utriuſque in Chriſti pectore ſimulatæ; ut moribundus ſentiret amoris ſtimulum, cùm implacabile interficeret odium. De hoc etiam alibi.

Lardit. *Charitas Chriſti ingenioſa.*

Iſai. 28. 21.

1. Cor. 6. 8.

Eph. 3. 19.

1. Mac. 1. 6.

In quo?

Patet amoris ſublimitas. Quiſnam exponeret, niſi ingenioſa charitas? *Vox huius cantoris fervor eſt ſancti amoris.* Ita Auguſtinus *Serm.* 256. Vox eſt canticum novum. Quod Propheta dicit, *Canticum novum*, hoc Dominus dicit, *Mandatum novum.* Quid enim habet canticum novum, niſi amorem novum? Sonet vox in auribus noſtris, quia omninò dulcis. Amici auſcultant. Quid audituri? Canticum novum, & amorem ſingulariter novum. Vox eſt: *Amemus*, & *gratis amemus*; quia minimi habetur amor, niſi gratis. Igitur cum Othone Vænio ubi ſupr. dicam:

Auguſt.

Vox eſt dulcis amoris, Amemus gratis.

Errat qui cauſas eximij quærit amoris.

Othon. Væn.

DIDASDALIA III.

Non poteſt parvo res magna conſtare.

1 DEclamat Cordubenſis in indignos flatu philautiæ, & authovitatis inflatos: *Epiſt.* 19. Telas araneæ texuerunt; & rumpitur rete ante oculos pennatorum. Gloriantur in malefactis, phantaſiam tutò ſequentes: quibus optare publico commodo poſſumus, quod idem Sthoicus ibidem: *Utinam quidem ſeneſcere contigiſſet intra natalium modum; nec in altum fortuna miſiſſet!* Igitur eorum ſtabilitur ſolij faſtigium in publicum malum. Non poteſt arbor mala bonos fructus facere. Succidatur arbor, irrationalium cunctorum patrocinium. Ex operibus, quaſi ex fructibus cognoſcuntur: ſiquidem ſtudium improbum eſt maieſtatis indignæ, in dedicationem deformis ſtatuæ. Mactè figurà: non magni fabrica, ſed micrologia: dedecus enim poteſtatis in throno; quia eminent *cogitationes ſine intellectu*: nullatenuſque corripitur à ſuperveniente iniquitate; cùm didicerit inſanus, vel in quiete (ludente phantaſia, aut etiam illuſa, dum ita illa venuſtè in imagine petranſijt, quam pondus metallorum conſtruxit, & ſupercilium caperatæ frontis anxiè intendit patefieri) non poſſe parvo, uti pulvere, tantam machinam conſtare. In opera vanida frequenter protendunt, quaſi hominum artifices; & operum, etſi placeant, piget authores: quippe quantunvis connivent: ſibi ipſis ſciunt non hominem eligiſſe, ſed ludicram ſtatuam. At quare? Multi, aut plerique dolebunt. Quid paſsi, dum ſic agentes? Dolebunt de homine ſuper ſe, tacti dolore cordis

Senec. *Vana opera à vanis.*

Idem.

Dan. 4. 11.

Idem. 3. 2.

Sap. 1. 5

Dan. 2. 33.

Phantaſmata potentium qualia?

Geneſ. 6. 7.

intrinſecùs quàm maximè, dicentes: *Pœnitet me feciſſe.* Hem! Dolebunt, ſed non delebunt: & quod illis queſtus, pluriniis riſus.

Geneſ. 2. 2.

Opus Dei electio rationalis creaturę.

Opus ſuum complevit manus Domini, quod fecerat. Hoc opus homo eſt. At quare vocatur *Opus ſuum*, tanquàm aliquid artifici peculiare; cùm ſine illo factum ſit nihil? Minimè ut reliqua conſtruxit; ſed ut reliquis, nec immeritò, præeſſet. Rationale animal eſt: ad culmen regiminis elevatur: & ut opus proprium Dei præ omnibus factis adſcribitur; quoniam nullum decorum proprius potentiſsimo authori, quàm electio conſultiſsima rationalis creaturæ. Perpende: Ante diem ſeptimum operosè hinc inde circumſpicit: in ſeptimo (uti dicitur) quieſcit. Quid mirum? Hominem habet: illicò ut nactus, ceſſavit ab opere; quaſi ſine illo, condito mundo machina fatiſceret, & homine electo, inveniſſet quo in regimine quieſceret. Aptiùs de huiuſmodi (eſtò è pulvere erectione) dicere poſsimus, quàm Ovidius *lib.* 15. *Metam. Fab.* 51. de aſſumptione Auguſti:

Ovid.

——— *Nec enim de Cæſaris actis*
Ullum maius opus, quā quòd pater extitit huius.

Optima prę̨ſidum cōſtitutio eſt Deitatis electio.

Huius præſidis: huius hominis: & *Opus ſuum* dicitur homo in throno fulgurantis maieſtatis; quippe in hominem rationalem (minimè intelligas nugationem) conſulta ſuffragia hominum eligentium, ſunt proculdubio Deitatis ſuffragium.

2 Prævidens Hebræorum indolem, in ritus & conſtitutiones Gentilium propenſam, eorumque cultui miſerrimè addictam; ut cervicem votis ſuis frangeret, ſic Dominus legem tulit: *Regem conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Nota *De numero fratrum tuorum.* Providè: dum ingreſſus eſt in regnum alterius gentis; Dominus de cœlo proſpexit, mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis: quoniam hoc immedicabile vulnus (dulcedine principatus) ni cœlo toto anniſu repellatur, in carcinoma feſtinatione lentiſsimà convertetur. Hiſp. *Mortal es la llaga, ſi el cielo no lo remedia.* Deploratur à Principe: *Domine* (ait) *inclina cœlos tuos, & deſcende. Mitte manum tuam de alto.* Ad quid ergo de cœlo? Ut liberet regnum de manu filiorum alienorum: ſiquidem minimè civitates veſtras ædificant, ſed *regionem veſtram coràm vobis alieni devorant.* Regionem veſtram devorari, turpe quidem: ſed *coràm vobis*! Vox faucibus hæret. Conſtitue, quem Deus de numero fratrum tuorum conſtituit: ſin autem Dominus in electione non eliget.

Deut. 17. 15.

Pręſes peregrinus plerūque tyrannus.

Pſ. 143. 5. 7.

Iſai. 1. 7.

3 Ad Didaſcaliæ propoſitum. *Conſtitues* (decernit) *quem Dominus elegerit.* Celebris ſanequàm conſtitutio! Si Deus eligit, quomodò Iſraël ſibi regem conſtituet? Deus ergo conſtituit, dum Principem pro libito eligit: ſiquidem homo aſſumptus in ſolij culmen, conſtituitur in regem per electionem: quo pacto electio erit ſupremi Principis, & populi ſuffragantis? An quia in dignitatem ambientem, & hiantem electio non fit; ſed in eum, qui vocatur à Deo tanquàm Aaron? Quid ergo erit in arido eccleſiaſticorum culminum, ſi hoc eſt in viridi ſæcularium dignitatum? Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis, & multoties caſtigantis. Caſtigans caſtigat Dominus, & etiam remuneratione dignitatum caſtigat. Vidi impium ſuper exaltatum, & elevatum ſicut cedros libani: ſed quare? Quare via impiorum proſperatur? Reſpondet Claudianus *lib.* 1. in Rufin. v. 21.

Ambitio deteſtabilis.

Deus interdū dignitatibus caſtigat.

——— *Iam non ad culmina rerum*
Iniuſtos creviſſe queror: tolluntur in altum,
Ut lapſu graviori ruant.

Claud.

Quare via impiorū proſperatur?

Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua. Circa quod, Deo bono, nobis aliàs grandis ſermo, & omni acceptione dignus. Interea ſcrutator diligentiùs totum Pſalmum 72. in quo intrans in Sanctuarium Dei, invenies felicium miſerrimam ſortem; & quam pueriliter vocamus fortunam, gravem matrem.

Diſcrimen electionis, & conſtitutionis exponendum, ut clariùs percipiatur prudens ſuffragium. Quomodò ergò Deus, eligit, & eligendum ſignis, aut voce proponit; ut ſuffragatores conſtituant, quem intimè uti homines eligendum ignorant? Facillimè. Dotes, quibus Deus ornat homines, ab ipſo in electionibus commendantur, & ſuffragatoribus potiſsimè præponuntur: ſiquidem Dominus ſemper obijcit meliora, ut ſuper candelabrum culminis luceſcant merita. Hæccine Deus hominibus confert: congregatio eligit: & electio ſuffragatorum in Deum glorioſè devolvitur; dum ab illis homo in Regem plenus dotibus conſtituitur.

Electio optimi ab hominibus in Deum devolvitur.

Ulteriùs. Deum dicitur eligere, neutiquam homines; ſed conſtituere. Electio non imbibitur in conſtitutione? Minimè. Electio meritorum eſt, ipſa efflagitant, vel etiam repetunt culmina: ipſorum eſt, vel Dei conferentis merita: nequaquàm ſuffragantibus calculis tribuitur, quodcunque ipſorum approbatione ſignatur: ſiquidem ad illos tantummodò ſpectat conſtituere in Principem ſplendore dignitatum; quem Deus elegit præ omnibus grandi commendatione meritorum.

Decet merita eligere, & homines cōſtituere.

Etiam meritis voces inſunt: & audiuntur adhuc in vinculis opera Chriſti: igitur apertis tibijs clamitant dotes; ut aſſumantur pro meritò ad dignitates. Criſis Senecæ eſt: *Non eligimus dignos, quibus tribuamus; ſed nomina. lib.* 1. de *Benef. cap.* 1. Eligere nomina, non eſt eligere merita: ſuſpectum certocertiùs ſuffragium; dum in calculis nomina exquiruntur eligendorum: & propudioſus ſtatus: ſi nominatus eligitur, & non dignus. Dignus eligitur, ut ab hominibus conſtituatur, à Deo: illiſque in electione tantùm conceditur conſtitutio; quia non nomina, vel homines eligendi in maieſtatis faſtigium, ſed dotes hominum.

Senec.

Non eligēda nomina, ſed nominū merita.

4 Haud conſultum tanti ponderis coruſcaret, ſi profanæ duntaxàt fulcro auctoritatis luceret. In præfato divino decreto præſcribitur rationalis conſtitutio. *Non poteris* (infit) *alterius gentis hominem regem facere.* Quàm mirifice! *Hominem regem facere*: equidem Regnum extremam quoquo latere perpetietur calamitatem; ſi fuerit opus, regem facere hominem. Dignitas hominem, etſi cognoſcit, non facit. *Ipſa enim altitudo attonat ſumma*: vel in ipſo maieſtatis eculeo docuit Mecænas: Senec. *Epiſt.* 19. Quapropter qui non aſſumitur homo; attonitum haud facilè informabit electio.

Deut. 17. 15.

Altitudo culminis attonat.

Senec.

Non dixit, *Regem hominem facere*, ſed *hominem regem facere*; ut minimè dignitas congruat homini, ſed homo conveniat pro merito dignitati. Primum eſt, eligere nomina: ſecundum, merita: rex fit ex homine, ſed homo non conflatur ex rege; unde non rex, ſed homo in regem conſtitui debet electus; ne nimio culmine oculis obijciatur attonitus. Culmina circumſpiciuntur, quaſi electos homines facerent, & ſtolidos ſapientes inter rationales conſtituerent. Ideo dicit inſipiens in corde ſuo, digitorumque crepitu, dum apparet electio; *Iam ſum homo*: attonitus eſt, ſinciput evaneſcit: & nullo modo præfigitur, regem hominem facere, ſed in regem hominem conſtituere; quia turpis ſuffragantium undecunque conſtitutio, niſi ſuffragijs conſtituatur homo.

Minimè rex conſtituatur in hominem, ſed homo in regem.

Sat ſit periphraſis: patet iam cur vocalibus conſtitutio, & Deo tribuatur electio. Si electio conſtituentibus concederetur, non conſtituerent hominem in præſidem, ſed præſidem nominatum in hominem. Hominem utique arbitrarentur ex culminis maieſtate, nullatenus maieſtatem meritorum ex homine. Quoties homo eligit, opus perperàm cadit: conſultè ſuffragatur, dum conſtituit: & electio calculorum conſtituentium, decorè prædicatur ut Dei ſuffragium; quoniam Opt. Maximus eligit merita, ut ab hominibus ſubleventur in culmina.

Deus eligit merita, ut homines ſuſtollāt ad culmina.

1. Reg. 16. 1.

5 Patet: mittitur Samuel in Bethlehem, ut eligat in regem puerum David. Quis illum eligit? Deus? Samuel: quia eligit, quem Deus providit. Ductus in auctoritate ſuo ſenſu, ungere intendebat primò egreſſum Eliab: cui dixit Dominus, *Non*; plerunque qui iuxta Dei voluntatem non eligit; eligit imprudenter quod primum occurrit. Inſiſtebat, & electioni Samuel elector anniſu, totoque pectore haud feliciter incumbebat: ſed *oleum fluere* (ait Baſilius Seleuc. *Orat.* 14.) *recuſabat.* Perperàm igitur, vel conatu conſtituet, quem etiam ipſa dignitas ſpuit. Huiuſmodi intentum eſt quidem electuritio, & in ſchedulis iaculari ſine ſcopo. Voto fruſtratus (egreſſus eſt alter; & ſicut in partu Thamar, retrocedente Zara ſignato, lucem nactus eſt Phares) intendit Abinabad, vel Samma, reliquoſque ſeptem filios Iſai (quos ad regimen non noverat Dominus) augurari in ſacri moderamina principatus; cæterùm recuſabat oleum, electurientis ſuffragium: ſiquidem ut dignus ſuſtollatur in dominationis celſitudinem; conſulere debet ſuffragator merita, ſed non ætatem. Indecora conſtitutio, niſi cæteris paribus, quæ favet ſtupidis ſenibus, quia primò nati; cùm poſsint, ut ait Adagium: *In Scholas mitti. Turpis & ridicula res eſt elementarius ſenex*: exclamat Seneca *Epiſt.* 36. buccis crepantibus exultant, & inſultant: ſed confunduntur. Quodcunque igitur tot annis pondere dierum improbè conſummarunt; hi noviſsimi una hora placidiſsimè fecerunt. Commendationem etenim meritorum acceperunt ex iniuria; cùm quicquid illi ſæculo, perfecerint una hora.

Indignos dignitas ſpuit.

Baſil. Seleuc.

Gen. 38. 29.

Non ſæcula, ſed merita præponēda.

Eraſm.

Senec.

Deliria ſeniorū, annorum præceātia.

Nec præſentes eliguntur à Samuele: planè mirabile! *Vocavit Dominus diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis. Ex ipſis vocatis.* Certum quid habet eligendorum præſentia, ut concilientur ſuffragia: quanvis electus fulgeat ſtemmate iurè glorioſo, dum eligitur abſens à Sacro Senatu. Eligendus erat in Principem Iſraël, qui aberat in gregem filius Iſai. Inauguratur: præficitur: iam Davidem cœlitùs divina oracula commendabant, cuius homines, etſi pater, & fratres ad apicem nec meminerant. Inquiro: Quis enim David elegit? Deus: ſed etiam Samuel elegit; quia iuxta præſcriptum Dei puerulum regem conſtituit. Conſtitutio hominum eſt, electio Dei: & Deo tribuitur, quod etiam ab hominibus liberè geritur; quippe antequàm Samuel elector inferret ſuffragium, Deo inſpiranti præbebat incunctanter auditum.

Luc. 6. 13.

Apud homines, & ſi fratres aſſumendi digni nec memoria.

6 Perpende in Samuele privatis commodis faſcinatos, & aliorum ſenſui irrationabiliter addictos. Illi benè ceſsit, quia ceſsit Deo: his ergo diſtortè, quia ſubſunt mundo. Vocatur, & mittitur in Bethlehem, ut regem con-

1. Reg. ubi ſup. Perperã eligit, qui electum ex ratione non providit.

conſtituat unum de filijs Iſai; non quem ille ſtatuet, ſed quem Deus providit. Neſcit nomen: miraculum expectat, & conſilio labat: lubrica profectò electio; ubi ut ſit felix electus, eget miraculo: eſtò lætanter, qui neſciunt, oppidò ut invenerint nomen incognitum; plaudant, & extollant ut miraculum inauditum. Hi, ut vidimus ex Seneca, non quærunt nomina digna, ſed nomina: & dum interveniunt ex officio conclavi, meritiſsimè conferuntur expectanti Samueli: ſiquidem habent quaſi in lenticula ratum ſuffragium, ſed in tot eligendis neſciunt propoſitum. Hem! Nec ſe ſciunt; nec quid, nec quem, nec quò tendunt.

Ludicrum videbitur. Sanè: rancidus iocus. Nota quàm inoletum delirium. In ſucceſsione, ſive præſumpta ſede vacante, mortis articulo, Regni Davidis: percrebuerant, & validiſſimæ utrinde factiones, Salomonis ſcilicèt & Adoniæ. Fautores huius erant abiathar Sacerdos ſummus, & Ioab regij exercitus præfectus. Territi ſunt deſignatione Davidis in perſonam Salomonis, quotquot Adoniæ partibus ſtudebant, nihil boni in poſterum ominantes, & conſilij inopes. Cecidit Adonias, qui elevabatur, dicens: *Ego regnabo*: ſubditque ſacer

3. Reg. 2. 28.

textus: *Venit autem nuncius ad Ioab, quòd Ioab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet.* Celeberrima clauſula! In ſenſu literali proclivè exponitur, cùm in ſacris literis præpoſitio *Ad* ſæpeſæpiùs accipiatur pro *De. Ait Ieſus ad eum.* Luc. 19. 9. ideſt, de eo. *Non eſtis locuti ad me recta, ſicut ſervus meus Iob*, cap. 42. 8. *Ad quem nobis eſt ſermo.* Hebr. 4. 13. *Hæc dicit Dominus exercitum ad columnas, & ad mare, & ad baſes, & ad reliqua vaſorum.* Ierem. 27. 19. quod inculcat *cap.* 33. 4. ideſt, *De me, de quo, de columnis, de mari, de baſibus, de reliqua ſupellectili.* Quapropter, *Venit nuncius ad Ioab*: ideſt, *de Ioab*, intelligendum; quaſi ſuperſederit in exaltatione Salomonis, qui circa Adoniæ nudo pectore cor expreſſerat ſatagentis. Vel ſi ſtrictè interpretari velis, erit ſenſus: ad Ioab venit nuncius dicens: *In regia dicitur, quod Ioab declinaſſet, &c.*

Ad pro De præpoſitione interdũ in ſacra pagina.

7 Priuſquàm textus articulus delicetur; tanquàm curriculo aliquid notatu dignum ſapienti, & inſipienti ſolutè obijcitur. In iſthoc fortunæ iactu, voluntatis, ſive rationis delectu; crimen Ioab magnificatur, quòd poſt Adoniam declinaverat. Hoc eſt crimen, vel familiaritas? illotunc crimen: ceciderat Adonias. Ibid. v. 25. Perpende *Declinaſſet, & non declinaſſet.* Iudicium profectò lubricum, non declinaſſe, vel in declinatione poſt electum. Inclinatio in Adoniæ ſplendorem micat animi Ioab, declinaverat partes filij Bethſabeë, at hunc regem regnum iubet David ut ſtatuat: pro illo gubernat; & quicunque electum non ſecutus, declinat. Pungit moleſtè animum poteſtatem habentis, acuminata ſagitta alterius inclinationis, quaſi ab altero declinatio, eſſet alterius æmuli conſtitutio: & dum infeliciter promoventur, etiam inclinationes in æmulum caſtigantur.

Studium filiorum huius ſæculi quale.

Etiam latentis, vel labantis amicitia nocua.

8 Interficitur turpiter Ioab, & propter locum, & propter occultum intentum. De quo vide Caiet. hìc, & Abulenſ. *quæſt.* 38. Sed quare turpiter, ſi propter duplicem inſidioſam cædem, vir ſanguinum erat, & dignus morte? Fecerat; ſed poſt Salomonem in electione ad ſolium, non declinaverat: & dedecore Regis mors tanti ducis perficitur, cùm ille criminibus etiam ignominioſam mereretur: quia acerbitates regij pectoris bracteantur iuſtitia; & privatę iniurię vindicantur conſultò publicà causà. *Sanguis palàm, cauſa in occulto*: dixit Cornel. Tacit. *Ann.* 4. de ſimulatione Tiberij. Prætoriano milite educi poterat homicida, ut criminis pœnas lueret, atque capite in poſterorum terrorem carnifex obtruncaret: cæterùm poſt caſum Adoniæ, ſupplicium etiam iuſtum erat indecoriſsimæ notæ: ſiquidem ſpectabilis maieſtas regis vendicat ſibi, & vindicat peculiares iniurias Salomonis.

Caiet. Abulen.

Specie iuſtitię punitur inculmine iniuriæ privatæ.

Corn. Tacit.

Obnoxius Ioab erat, quia ſanguis in eumnon qualiumqualium virorum clamabat. Satagebat effugere pœnam cervicibus imminentem, & declinavit impensè in alterius electionem; quaſi reddi poſſet immemor criminum, pro quo intulerit ad maieſtatem ſuffragium. Ars eſt filiorum ſæculi, utilitatum privarum ſtudioſorum, & anxiè: cùm plerumque nullatenus refragentur, aut ſuffragentur, quia digni propoſiti, vel indigni; ſed quia liberantur à Iudice, vel degent ſolutiores cum cliente. D. Benedictum legas *Regul. cap.* 64. præcipuè à *ſi omnis congregatio vitijs ſuis (quod abſit) conſentientem perſonam elegerit, &c.*

Interdũ ſimulãtur, ut eligant ſub quo liberiore vivant.

S. Benedict.

9 Lucet intentum in lectione Hebraica. *Quòd Ioab declinaſſet poſt Adoniam, & quòd poſt Salomonem* (Hebr. *poſt Abſalomem*) *non declinaſſet.* Utriuſque exaltatio quaquà perpera, & regi à Domino deſtinato moleſtiſſima: nihilominùs Adoniacam adiuvit, cùm Ioab Abſolomicam vindicaſſet. Sapientia humana ſanequàm eſt inſipientia: igitur vir prudens, penès quem cuncta, in articulo electionum, vel amplectens candens ferrum; in obſequium Adoniæ facinori imprudenter addicitur, quod in perduelli Abſalome meritò deteſtabatur.

Et ſceleri addicuntur, quod dudũ deteſtabantur.

Minus providè de ſuis, trito itinere, tutò rebus conſuluit Ioab, cùm præcogitatur æmulus

Meritò labitur, qui in electione à Dei voluntate removetur.

æmulus filius Bethſabeë. Partes nimio conatu ſequebatur Adoniæ, & labitur ore gladij. In ſolium David Dominus Salomonem delegerat: Ioab poſt æmulum pectus inclinat: & iurè decidit Adoniæ ambiens ſtudioſè exaltationem; iam dudùm ſciens Dei Domini oppoſitam voluntatem.

10 Vidi quidem è ſæcularibus virum ſanè prudentem, inſtrumentis optimis inſigniorem, multum in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus iactantem, togam deijcientem, & adijcientem, quaſi agentem, & certiùs ſatagentem (deſcriptio Manlij Suræ eſt apud Quintil. *lib. 6. cap.* 4.) in anguſtia cogitationum (conturbabant eum, & agendi ratio politica, & timida, ſeu expavida conſcientia) mihi dicentem: *Anguſtiæ mihi ſunt undique, & quid eligam ignoro*: Suppetit, reſpondeo, ubi hæc legiſti, via regia: *Meliùs eſt incidere in manus hominum, quàm derelinquere legem.* Exitus Suſannæ acta clariſsima probant. Hei! Dixit: *Filios habeo: derelinquor.* Via regia erravit, magiſtratu obivit, & filios perdidit.

Quintil.

Supplicium cuiuſdam ſuffragatoris.

Virg.

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere leges.

11 Iam enim de circunſtantiarum anfractu emergimus, ut exponatur ſingulare propoſitum. Sic ergo: *Venit nuncius ad Ioab, quòd Ioab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet.* Ad Ioab nuncius venit de cogitationibus ſuis? Quis enim magis conſcius ſuorum conſiliorum, quàm ipſe, ut ipſi nuncientur machinationes, quas gerebat in pectore? Quomodò videbatur; quod illi hoc, vel illud conſilium videretur, vel non videretur? In facie? Ita Euripides:

Facies ſpeculũ cordis.

——————— *Pectus*
Quod fovet, facies inverecunda dicit.

Eurip.

Et Ovid. *lib.* 1. *Amor Eleg.* 11.

Ovid.

Aſpicias oculos, mando, frontemque legentis:
Ex tacito vultu ſcire futura licet.

Igitur in margine frontis lucet perſpicuè ſententia mentis. Aliquid magnum in auctoritate deliteſcit, exprimens (ni fallor) quod in electionibus ſæpeſæpiùs uſuvenit. Minimè de augurandis dignis, aut meritis eligendis ſtudium ineſt; ſed iuxtà normam primatis iuſtè, vel iniuſtè præponentis, & proponentis. Unde quaſi infallibile ſummum & optimum, non eligunt dignos, quibus meritò ſuffragentur, ſed propoſitorum nomina, quæ præponuntur: & ita privantur arbitrio, & bono genio, addicti alieno conſilio; aut ita ſunt ſpe commodi lactati, dolo ſopiti, ambitione attoniti, pendula expectatione ſoliciti; ut ſi forsàn interrogantur, quem eligunt? Nec ipſi ſciunt: nec quid agunt, nec quò vergunt. Ideo de Ioab venit nuncius ad Ioab; quia in principis electione nequid ſciebat de ſe. Hiſp. *Tan ſin conſejo, ni dictamen aſsiſten à la eleccion; que ellos miſmos no ſaben por donde vàn; y ſi ſe apura, ni à què.*

Ita attoniti, ut quid, quẽ vel quò eligunt, nec ipſi ſciant.

12 Ex quo ſi attentè inſpexeris, non tantùm videbis, uni deberi ſuffragia multorum, quod (ut ait Corn. Tacitus *lib.* 3. *Annal. cap.* 63.) riſit Tiberius; dicens: *O homines ad ſervitutem paratos!* Criſim hiſtoricam nota, *Scilicèt etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tàm proiecta ſervientium patientiæ tædebat.* Sed etiam quod obſervat Seneca *lib.* 1. *de Benef. cap.* 1. Nimirùm: *Sibi quis debet, quod à neſciente accipit*: præcipuè ſanè in ſplendore dignitatis, ſi ſibi nequicquam debet.

Tacit. In ſervitutẽ parati.

Senec.

Hoccine obſcurum proponitur: apertiùs dilucidabitur. Quorsùm tendent viri ſagaces, dùm eligunt inſipientes? Quid conantur? Dixit Seneca ubi ſupr. *Non eligimus dignos, quibus tribuamus: ſed nomina facturi, diligenter in patrimonium, & vaſa debitoris inquirimus: ſemina in ſolum effœtum, & ſterile non ſpargimus: beneficia ſine ullo delectu magis proijcimus, quàm damus.* Affectus eligentium huiuſmodi pondere claudicant, & infeliciter uſquequaque cæſpitant: nec capite alieno compuncti [illegible]piunt, quamtunvis votis contraria ſubeunt: exiſtimantes opus fortunæ (præut libet, inauditum) extra fortunæ ſuperponi iactum. Riſuque dicunt:

Idem.

Sed quare?

——— *Careat ſuceſſibus opto,*
Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

Subeſt namque cauſa cur dignos non eligimus. Primum quia nomina in delectu facimus. Inſuper, quia vaſa debitoris inquirimus. Demùm, quia in terram ſterilem nunquàm favoris ſemina ſpargimus. Unde conſtat, quòd electionis beneficium non detur, ſed ſine delectu proijciatur. Cuncta perſcrutanda.

Triplex ratio, qua electio, et ſi medita ta, perpera.

13 Nomina facere duplicem exprimit alluſionem, & obligare aliquem, ut accidit quibus æs creditur, quod quidem eſt fœneratio. Ita Briſſon. *lib.* 1. *de verb. ſignif.* & Gul. Fornerius *ad leg.6. de verb. ſignif.* & celebrem ſive inclytum beneficijs, aut illorum diſtributionis, & electionis circunſtantijs ſe facere, nomenque irregularitatibus ineptis quærere: & cunctum vanitas eſt, & afflictio ſpiritus. Hanc occupationem peſsimam dedit Deus filijs hominum, & non ſuis, ut occuparentur in ea. Quod lubricum ſignans, monet etiam Profanus:

Briſſ. Forn.

Prima, quia negotiatio eſt, & nõ electio.

Nomina magna fuge.

Ovid. *lib.* 3. *Triſt. eleg.* 4. & *lib.* 5 *eleg.* 1. Si primum, nec qui accipit elargitori debet: ſiquidem dum fortuna impetrat maieſtatis celſitudinem; experitur electoris, ſeu iniqui exacto.

Ovid.

ctoris negotiationem: minimè ut eligatur, eligitur, ſed ut dignitas conſtituenti fœneretur. Neutiquàm ſicut Aquilæ in humeris portant pullos, ſuper illos volitantes, ſed ſicut accipitres, à quibus non pennis, ſed ungulis aviculæ ſuſtolluntur, ut explumentur, aut viſcera contorqueantur. Milui ſunt, etſi aliquando aquilæ; ut tollant medullam cedri dignitatis, & talentum rependatur cum uſuris: ita ut alijs tribuant culminis honorem, ſibijpſis retinendo poteſtatem.

Ab electis evellunt plumas, ſi cõferũt pennas.

14 *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt*, dicebant millia millium Angelorum, *accipere virtutem* (ideſt poteſtatem) *& honorem, & gloriam.* Hoc eſt regimen cœli, videlicet honorem, & poteſtatem conciliare; quod refugit ſtolidus mundus, vel homo ſapienter ineptus: igitur ſibi poteſtatem regiminis confert, dum alium honoris ſucceſſorem conſtituit. Ut ſedes gubernationis cederet meritis (tanquàm pretio ſanguinis) proponitur agnus, & leo (pro rerum articulo) cœtui Angelorum, ſeniorum, & animalium: & omnes adorantes ſuſcipiunt, quem merita inſtantia propoſitione præponunt: quandoquidem in ſella ſuſcipiens pro merito maieſtatem; minimè indulget ſegregari poteſtatem, & honorem. Ideo dicunt *Dignus eſt.* Equidem plerunque honor ſine poteſtate ab indigno accipitur, & indignè. Agnus eſt, dicunt huiuſmodi fœneratores: quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum: regat ſine poteſtate, ſatur honore: & multoties adorantes agnum mitem, inveniunt & dignè rigidiſsimum leonem. *Dignus eſt decipi* (exclamat Stoicus *lib. 1. Beneſ. cap. 1.*) *qui de recipiendo cogitavit, dum daret.* Honor, poteſtas & gloria tribuitur agno: mirifica ſanequàm, & imitabilis conſtitutio! Quoniam ſine gloria geritur dignitas, quùm ab honore removetur poteſtas. Quid boni faciet ligatis, atque præciſsis manibus? Quod facinus audebit vanidis cogitationibus? Quam gloriam afferent culmini honor in electo, & poteſtas honoris in electore?

Apoc. 5. 12.

Dignitatẽ indignè, niſi indignus non ſuſcipit.

Senec. *Dedecet dignitatẽ accipere, abſque poteſtate honoris.*

15 Alia acceptio *Nominis facti, vel faciendi*, ſcrutationi libenter occurrit: quaſi aſſumptio hominis è pulvere pro libito nacti, quid magni foret libera poteſtate furenti. Neſciunt nomina facturi, quo pacto nomina faciant, vel nomina fiant. Electus eſt eligendus. At quomodò? Diximus *Tautolog. anteced.* Aliter creantur: ſed & hoc vaniſsima vanitas, cùm homini ſit limitata poteſtas. Simiæ Dei vocitantur, quod nomen dæmonum: & ſæpe circa electiones exequi ſtudent, quod nec dæmones gnaviter excogitarent. Creari ab homine, blaſphemia eſt. Sed quid eſt hoc? Minimè creantur, ſed execrantur, & factores, aut fautores confunduntur.

Electi ex creãtur, ſi creãtur

Audias Ieremiam exprobrantem ut nocuam, iſthanc inſaniam. *Quomodò confunditur fur, quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt.* Ergo quia non electores, ſed negotiatores & fœnore fures: ideo dum micat affectionibus electus, pallet meritò confuſus. *Confuſi ſunt* (ait) *domus Iſraël, ipſi, & reges eorum, Principes & Sacerdotes.* Sed quare? Subdit. *Dicunt ligno; Pater meus es tu:* & *lapidi; tu me genuiſti.* Hem! Nec novum, quòd turpiter confundantur. Lapis formatur in titulum, lignum excolitur, dolatur, lævigatur in idolum. Lignum comminuendum, non adorandum: ſaxum proterendum, nullatenùs ſublimandum, ſed (proh nefas!) lapides, & ligna ſuſtolluntur ad thronum: exclametur confuſio ut extremum ignominiæ, dedecus rationalis creaturæ; quæ quidem adorat lapidem, qui ubique teritur, & lignum futile, quod facilè frangitur: quamvis (aërem verberamus) lignum ſculpunt, & lapidem erigunt, & minimè confunduntur.

Ierem. 2. 26.

Ibid. v. 17. *Cur ita ſolidi?*

Figuræ adoratio eſt probi hominis confuſio.

Hoc civile ſacrilegium in electores interdum graſſatur. Ambiunt lapidi inſenſibili celſitudinem; cæterùm in confuſionem: cùm dicant ligno, *Pater meus*: & ex pectore, lapidi: *Tu me genuiſti.* Ita immemores rationalitatis, & ſuæ circunſpectiſsimæ conditionis; ut fœdiſsimè adorent quaſi idolum elevatum, quem toties rationabiliter prætermiſſerunt ut truncum. *Pater meus*, & ligno! *Tu me genuiſti*, inutili ſimulachro! Si ſimile producit natura; ſimiles fiunt illis, qui faciunt ea, & confidunt in eis? Confidunt. Feſtivum certè acroama. Non reſpondet figura, nec in gratitudinem molliuntur pectora ſaxea. Non en auctoris in opere, eſt artificis: & profectò dum vacant dignitates; electio claret per meritorum inſignem commendationem, minimè verò per ſordidam artem, ut rutilet nomen.

Quia adorat ut idolũ, quẽ ſubſanavit ut truncum.

16 Infauſto alite nomina magna: malo omine famam exquirunt Heroſtrati inſtar, Epheſinæ Dianæ combuſto templo. Strab. *lib.* 14. Quid eſt lignum, quia memor es eius? Quid lapis, quoniam reputas? Quoniam viſitas? Quid truncus, ut magnifices eum? Ut quid apponis erga eum cor tuum? *Fruſtra conflavit conflator.* Obſerva. Haud volupe idolis, potiſsimè elevatis, & elatis, artifices conſpicientes. Etſi agnoſcant, murmurant: renuente Minerva fatentur & vi, *Manus tuæ fecerunt me*: & perſcrutantur curioſè, ſitienterque effugium vel creperum; ut factoris excutiant moleſtiſsimum iugum. Quid mi homo? Debitores huius fœneratoris longè diſtant: meritis parùm, indignis contulit multum. Quis horum ergo eum plus diligit? Nemo: at ſi fortè quis; magis debet, & minus diligit, cui plus donavit. *Leve æs alienum* (notat Cordubenſis *Epiſt.* 19.) *debitorem facit, grave inimicum.* Declinat induſtrià debitor exactorem; ne operiat tacita confuſione faciem: ſed in anguſtijs, ſi coràm debitum iactat; quia grave, placidiſsimè debitum negat. Equidem, ſubdit idem lib. *de Beneſ.* cap. 1. *Malè collata, malè debentur.*

Strab.

Ierem. 6. 29. *Quæ cõſtruit phantaſia ambitioſa, opera plerũque ingrata.*

Senec. *Vel quia ingratũ, vel ingratijs.* Idem.

17 Hæc eſt ſubſequens cauſa peſsimæ beneficiorum diſtributionis, & indignæ dignitatis: ſcilicèt *Vaſa & patrimonia debitoris inquirimus.* An ut optimè collocetur beneficium? Gratis errant: igitur non propriè obſignabitur beneficium, quod eſt profectò meritorum præmium: ideo culmina dicuntur credita, & ratione commodi commodata; quia dignitates ab electoribus fœneratoribus iudicantur beneficia. Diſcrimen etiam intereſt inter beneficij negotiatorem, & electorem inhabilis ad fulgidam dignitatem. Singuli cautiones exquirunt, pignora ambiunt, ſatiſdata repetunt, & vaſa debitoris quammaturè circumſpiciunt. Sed ille pretioſa; hic verò titivilitia. Ille prorsùs plena: ſed iſte penitùs vacua. Vas deficit, & ingratitudo pectoris ore patulo incunctanter ebullit. Pignora digni exhibentur gratitudinis vadimonium. Minimè dignitates in capaci pectore occupant animi gratiſsimi ſpatium: Probatum eſt aurum, quod non occupat locum: & benè cadit electio; quia ad utrunque in pectore latitudo. In vili & abiecto electo etiam memoria evaneſcit. Incapax vel vas non habet: quapropter cùm elector ingerit dignitatem; electus evomit è pectore gratitudinem: & non erubeſcit; ſiquidem quaſi natus in regimen abſolutè dominatur, dum precaria dignitas ab electore inſipido diſtribuitur. Paſsim contingit: & ſuffragator fraudatur & digne, cogitato conomine; iam dudùm nixus arundineo ſcipione: plerunque enim quæ magis grata, nocuiora: quippequàm ab obligato magis, tutò procedit & ruina.

Secunda, quia quod eſt præmiũ, cõfertur ut beneficium.

Ingratus cõcipiens dignitatem, parturit ingratitudinem.

18 Ecce campus ſub quo ſepeliunt ſemina facturi nomina: quod quidem extremum in Stoici monitione, & fœcunda auctoritate. *Semina* (dicit) *in ſolum effœtum & ſterilem non ſpargimus*: hincque procedit, quòd beneficia, ſeu præmia, dum diſtribuuntur, non dantur; ſed ſine delectu proijciuntur.

Tertia, quia dignitas proijcitur & nõ datur.

Aquæ nanque Bethſaidæ liberum reddebant laborantem quemque ægritudine, à quacunque detineretur infirmitate. Infirmitates homines perſequebantur, modò ab hominibus detinentur; & malis ipſis voluptuosè vivunt. Aquæ motus erat ſignum deſcendentis medici, & præpropera deſcenſio ſalutis languidi. Iacebat ibi multitudo languentium, expectantium aquæ motum. Candidatorum ſiquidem & vividè deſcribitur conſtitutio; ſi aliquantularum dignitatum, ſeu utilitatum micat, eſtò longè, electio. Circunſtant languentes, & expectantes: minimè circunſtarent, ni languerent: ſani autem procul abſiſterent: quippequàm ſi febris avaritia eſt, luxuria, & livor, & plaga tumens, atque ambitio fervens; his malis animus, pluſquàm caro languet: cùm nocuioris febris promineat ſignum, expectantibus languidis aquæ motum: igitur in Republica vagorum peſsima eſt plaga, quæ ſanatur aqua turbida.

Symbolũ cãdidatorum.

Ioann. 5. 3.

Securior præda piſcium in aqua turbida.

Angelus autem Domini deſcendebat in piſcinam ſecundùm tempus; & ex tot languidis contactu aquæ ſanabatur unus. Sed quis? Qui meritorum patientià florebat? Neutiquàm. Salutem adipiſcebatur ſorte, qui poſt motionem aquæ prior in piſcinam deſcendiſſet. Siſte pedem. Angelus eſt diſtributor, ſeu miniſter ſalutis: omnes ſiquidem ſunt adminiſtratores: & quod ibi à miniſtro cœleſti miraculo factum, patet oculis eligenti miniſtro propudioſum: quandoquidem, dum merita clamant, & dignitatem candidati circundant, devenuſtat electionem; quòd ita ſine delectu conſequatur dignitatem, qui prior diſtribuenti fortè cæculà acceſſerit, vel qui primus cogitationi fumivendulæ occurrerit. Hæc non dantur, proijciuntur: cùm expectantes beneficia carptim rapiant, vel raptim cupidi accipiant. Nos dicimus: *A la rebatiña.* Undè magis accipiens gratulantur ſibi, & fortunæ, quàm manui illi dignitatem elargienti. Eodem animo & modo beneficium debetur, quo datur. Sibi quiſque tribuit, quodcunque gratis accepit: vide quæ diximus *Taut.* 2. *Didaſc.* 1. *num.* 11.

Ibid. v. 4.

Ex abrupto eligitur, ſi dignitas primùm occurrẽti offertur.

19 Deviant huiuſcemodi electurientes à civilibus beneficiorum agricolis in modo; imitando, quorum pœnitet, illa quæ nocent in beneficio. Eligendo namque ſeminant gratiam, ſed non deligunt, etſi diligunt fertilem terram. Bonum ſemen ſeminat homo in agro; verùm fraudatur à deſiderio ſuo: quoniam cùm triticum ſeminaret in terra peſsima; ſimul apparuerunt & zyzania. Aptior gleba videbatur, quia vacua fructibus, vel laboribus; ſed perperàm videbatur, quia terra ruſtica: & cuicunque collenti *Spinas, & tribulos germinabit.* Perpende *Germinabit tibi.* Cui? Adamo. Hic transfertur in paradiſum, ut operetur terram; deijcitur extra, etiam ut coleret ipſam. Ingrata & ruſtica eſt; pro

Geneſ. 3. 18.

Ingratus beneficijs irritatur.

pœna, huius cultui & operi deſtinatur Adam: ſiquidem non ſolùm negabit fructum, ac pro ſingulis centuplum; ſed & agricolæ ſudanti, iugiterque colenti, ſpinas ignobilis, & tribulos germinabit. Si magna moles niſi in magno conſiſtere nequit; in decorem omnium contempletur elector, quem conſtituit: ſiquidem nomen celebre electionis, & dignitatis obtinetur in homine ſummi ſplendoris.

2. Reg. 12. 6.

20 Diximus Deo cedere electionem, atque conſtitutionem ab hominibus; quippe ab his minimè electione conſtituendi, ſed conſtitutione eligendi ſint aſſumpti. Samuël vocans ad iudicium Iſraël, ut vel maledicus etiam affectionis quidpiam exprobraret, aut de leviſsimo crimine innocentiam argueret; in electione Regis, quem exigenter efflagitabat, dixit: *Dominus, qui fecit Moyſen & Aaron.* Quid? Nil amplius. Emphatica phraſis! Verba proculdubio pendent: ſiccine, frequenter electiones emphaſim habent.

Electiones plerunque emphaticæ.

Quid his imperfectis ſermonibus Samuël intendit? Pœnitudinem regem petentium, cùm in ſuum malum diſponerent peſsimis thronum: igitur Deus ut fecerat, conſtituet, qui profuturus Regno; & illi ex arrupto, ut inexperti, profuturum principatu. Hucuſque Deus; neminem elegerat; vel quem ex malo, non feciſſet bonum, vel qui totis viribus impensè ab hoſtibus non defenderet regnum. Ex electis à Deo retrò ſæculis ducibus, coärguit pollere populum pravis affectibus: qui fecit & feliciter duces, ipſe faciet; & iudicium veſtrum tanquàm lumen educet. Vos neſcitis quid petatis, vel quem ſuper vos alba amuſsi conſtituetis. Ipſe qui cognoſcit, faciet: faciet qui fecit Aaron, vel abſentem inclytum; & Moyſen, etiam deſcendentem, ſplendidum.

Deus eligit ſerviturum dignitati: homines ſervituti dignitatis.

Fecit Deus ex uno omne genus hominum, ut regeret, vel ut regeretur, ſiquidem rationalium vita politica: quid magni ſpecificè Deo Moyſis, & Aaronis fabrica? Plurimi. Ex operibus præclaris ineſt ſubditis commendatio, quòd in diſcriminibus ſine diſcrimine conſtituti ſint à Deo. Plurimi quidem: quandoquidem ipſe, qui in altis habitat, & non indiget gloria; habet pro decore, reſpiciens humilia, quòd elegerit in populi duces, homines tot inſtrumentis, & dotibus commendabiles.

Gloria Dei prædicatur, benemeritorum electio.

Demùm. Magna de Deo præconia in ipſis comitijs Samuël prolaturus, truncat ſtylum; & quaſi hæſitans, meditanter relinquit emphaticè pendulum. Quis ita eximius faceret, ſi Deus non fecerit? *Fecit Moyſen & Aaron.* Quid plura? Nihilum cætera. Ampliora præconia? Et qualia? Si aliquid de ipſo poſſumus homines dicere magnum; maximè eximium, quòd Aaron fecerit Eccleſiaſticis rebus, inſignem, & Moyſen in populi conſtitutionibus celebrem: ſiquidem nec plus ad gloriam facere, nec à Samuele plus in decorem electoris poteſt dici, recenſente memoria tot electos; quàm quod elegerit iſtos.

Illuſtre etiā Dei præconiū, eligere dignum.

DIDASCALIA IV.

Quid erit, quid debeat, quid poſsit? non reſpicit ius Amoris.

1 ITA Chryſologus *Serm.* 147. Nihil reſpicit? Nihil: *Ratione caret*; ingenioſè reſpondet. *Vadit quò ducitur, non quò debeat.* Ius ſingulare conſtituit; ſiquidem *ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper ſe, proceſsit. Ecce*, ait, *aſcendimus Ieroſolymam.* Pacem, & faciem firmat. *Aſcendere* (dixit) *ad illudendum, & flagellandum, & crucifixendum.* O vis amoris, & præ amore ſapientiſsimæ cæcitatis! Excordaſti, dixit perhumanè, ſauciatæ Sponſæ, naturæ videlicet humanæ, in uno oculorum tuorum: ideſt, oculorum primo iactu. Vulneratur, quia vulnerata natura plagà gravi: & vulneribus vulnera ſanat in ictu oculi. *Vulneraſti: Excordaſti*: parum eſt: *Dementaſti* (ut obſervavit N. Caſtaniza in *Div. inſinuationib.* expreſsis in Dilecta Dei, cuius memoria in benedictione eſt, Sponſa Magna Gertrude, fol. 24.) *Stupefeciſt*: legit *Biblia Complut.* quia levis videretur demonſtratio, ſaucio amore in obſequium mirabile, diſponere cordis vulnerati ſtudium; niſi etiam præ exceſſu captivaret intellectum. Ideo enim Rationale Iudicij collocatur in pectore: equidem tametſi ratio iudicans, cedit amori.

Chryſolog. Ioã. 18. 4. Matth. 20. 18.

Amor Chriſti in hominẽ eximius.

Cant. 4. 9. Bibl. Max. Caſtan. Bibl. Compl.

Exod. 28. 29.

2 Inſigne primi amoris obumbratur in homine, cuius lumina vigilantiſsima hærebant pectori. Ita appoſitè Achilles Bocchius *lib.* 4. *ſymb.* 108.

Cor oculatum.

——————— *Cor oculatum eſt,*
Principium vitæ, fons, & origo animi.
Colli ornamentum torques, & pectoris alti
Aurea doctrina eſt Cyclica, cordis honos.

Achil. Bocc.

Imago, amaſiæ in corde ab amore (apta tabula) pingitur; ut abſente exemplari hoc ſolamine fruatur: & lumina capitis graphicè transferuntur in lumina cordis; ut nanciſcatur, vel leve ſolatium, dum patitur amor novercæ amoris flagellum: ſiquidem in abſentia difficulter removentur oculi, ut vel ſaltem ſatientur in imagine.

Noverca amoris abſentia.

Per oculos ſapientia expreſſa traditur à Pie-

rio *Hieroglyph. lib.* 33. *cap.* 7. & 25. & Bocchio ubi ſup. Cor dilectionis eſt ſedes. Etiam in civili inexcuſabili tractu, & conſortio (quapropter *Cyclica doctrina* dicitur) præſcribitur cautio. Facilitas plerunque vænit dilectionis diciſgratià; & affectus ſolidus ſpecie tantùm fucoſa: at cor oculatum, tanquàm prudentiæ inſigne, graphicè collocatur in pectore: igitur ſi per oculos obtutus, per laminam cordis ſignificatur affectus; cor profectò eſſe debet oculatum, ut obſervetur curioſè in ictu amicorum, quibus cor patens traditur cuſtodiendum. Lacedæmoniorum mos fuit ſeligere in armamentario ſcuta, ſed quæ iactibus valida manus probaverat, ut diximus *Tautol.* 2. *Did.* 2. *num.* 10. Vide, & Orozzium *lib.* 3. *Emblem.* Cautè quidem. Inſtituitur autem pelta ad pectoris ſingulare munimen, quanvis induti thoracem: & quas probaverat lancea, vel gladius, ſecurè amplectitur pectus; quippe cui pectus deditur cuſtodiendum, ante iactum ſortis perpenſiùs examinandum. Hæc optima mundo: unde David; *Intellectum da mihi, & vivam*: ſiquidem in hoc mari (ubi reptilia) magno & ſpatioſo; naufragatur album pectus ſine intellectu. *Hæc optima* dixi *mundo*: altiora cœlo. Fulget amor fracto ſcuto veritatis, & extollitur ſursùm flamma dilectionis: igitur pectus, non tantùm deditur ingratis cognitis, ſed præcognitis, & cervicoſè futuris. En Chriſti amor in hominem: *Sciebat enim quiſnam eſſet, qui traderet eum.*

Pier. Valer. Oculi ſapientiæ ſymbola.

Haud cor facilè credatur homini.

Cur ſcuta probẽtur?

Pſ. 118. 144. Chriſtus tradidit ingratis cognitis, & præcognitis.

Ioã. 13. 11.

Amore & ſapere vix Deo conceditur: dicit Stoicus Cordub. in *Sentent.* Sine *Vix* ſingularis ſententia: quia ſic diligere, peculiare Deo. Sunt enim oculi intellectus ſimulachrum: pectus verò dilectionis domicilium. Interdum fumus æſtuantis pectoris, & lucidæ flammæ obnubilat ſenſim ſolem intelligentiæ: unde voti compos, mentis impos occaſione nactà miſerrimè plorat, quia fumus acriter pupugerat lumina: at altiori conſilio oculi amoris collocantur in pectore, ut diligere ſciat amans in exhibitione: quandoquidem dilectionem demonſtrabit cæcè neſciens; niſi diligat, ingratitudinem ſciens.

Senec.

Solũmodò ſapiẽs diligit.

3 Opus, quod in homine & propter hominem compleverat Deus in admirationem hominum, vocatur ab Iſaia *Opus ſuum & peregrinum.* Quomodò opus, vel amoris peregrini, vel peregrinum opus amoris, ſi exprimitur opus ſuum, tanquàm opus ſingulare? *Non eſt magni* (ait Senec. *lib.* 7. *de Benef. cap.* 32.) *dare & perdere: hoc eſt magni animi, perdere, & dare.* Dare, opus proprium eſt amoris; dare, & perdere, eximiæ charitatis: ſiquidem pectus nobile prænoſcit ingratitudinem; & nequaquàm prætermittit demonſtrationem: Diligere ſic, mirabile iurè: quippe excedit amor in opere ſingulari: operam perdit, & dona diſtribuit: at cùm hoc ſit inauditum etſi opus; plauditur meritò peregrinum opus eius. Ni dicas, opus eſſe ſuum, quia in hominem; & peregrinum, agnoſcendo ingratitudinem. Dare, amoris eſt ſapientis; dare, & perdere inſcij amoris. Hæc ſcientia nititur in ignorantiæ affectatæ principijs, ut amor ſtudioſè faveat ingratis: at in tot officijs demonſtrationum, dicitur opus proprium, & peregrinum. Proprium, quia à ſe factum: peregrinum ſanè, quia ex ſe perfectum. Opus ſuum, & peregrinum amoris, ut ipſos ingratos diligeret quaſi neſciens.

Iſai. 28. 21.

Senec.

Dare, & perdere, conſiliũ amoris magni.

Et peregrinũ ipſos ingratos diligere, quaſi neſciens.

Perpende normam, exactamque amuſsim præſcriptam Sponſæ, *Introduxit me* (inſit) *in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem.* Ordinatio ſanè nova in cella vinaria. Vinum hoc, quod germinat virgines, potum; eſt vigilantiſsimæ rationis ſepulchrum: & in Sponſa diligente & dilecta dirimit mentem; ut minimè habeat in diligendo rationem. Cum intellectu charitas erat; ſed non ordinata charitas, uſquedum rationis periclitaretur integritas, cùm ibi firmetur, ubi plus alliditur: & ex corde Sponſa imbuitur ſcientia amoris, & rationis oblivione; ut magis luceat flamma in candido pectore: quaſi eſſe nequiret flamma chatitatis eximia; cùm eſſet in ecſtaſi, mentis compos plenè facta. Demonſtratio, quaſi cæcæ charitatis præfigitur teſſera nobilioris amoris: & Chriſtus ut ſingulare exhiberet obſequium; ſic cæcè dilexit mundum.

Cant. 2. 4.

Dilectionis ordinatæ inſigne, diligere ſine mente

4 Cæterùm *cæcè, & ſic*? Quid eſt hoc? Eximius amor. Quo pacto? Diſcretio dilectioni eſt lapis Lydius. Non eſt amor amor cæcus: igitur ſi amans Argus eſt, oculatus ignis, & ſine ſcientia velamen expanditur oculis; erit ſanè fingere gigantem ſymmetria infantis, abdicendo prorsùs uſum rationis: & ambire ſtadio ſine intellectu, quòd amor ubique plauſus, in cordibus turpi deformitate lachrymetur deploſus: igitur cenſere poſſumus exceſsibus aberrantem, ſi concipimus abſque ratione neſcientem. Quomodò namque amor ſine intelligentia noſcit, dum ſine ratione neſcit? *Ieſus dilexit*, ait Ioannes: verùm dilexit *ſciens.* Scientià exprimitur cognitio: ergo non cæca dilectio. Deficit lumen ſine lumine rationis, quod quidem ſequuntur cæca lumina voluntatis: cur igitur, ſi præexcellentis fidei demonſtratio ſpectat rationem ducem; ſine ratione operari quibit amor eximiam demonſtrationem? Proclive ſanè: Ut Ieſus ſapiens ſapienter diligeret, rationem habet: ut di-

Amor ænigma eſt.

Ioã. 13. 1.

Habet rationẽ, ut demittat

diligeret eximiè, ſubmittit, ita ut exceſſus voluntatis fulſerit, ex hoc quòd ratio voluntati cederet.

Patet iam illud *Sic* & *Cacè* vigilantiſsimè. Vehementiam ignis Ætnæ pectoris Dei expreſſam prædicat Ioannes, vel ipſe Dominus Nicodemo, flammam in rubo ſignorum perſcrutanti; in eò quòd Filiũ miſit ſubiectũ morti, & addictum ſepulturæ. *Sic enim* (ait) *Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, in mortem, & ſepulchrum.* Subdit Chryſ. hic: Quid eſt *Sic*? Ut non Angelum mitteret, ſed filium, & filium unigenitũ, & in mundum, & propter mundum, videlicet hominem; cuius iam introſpexerat ingratitudinem, ita ut ipſis obſequijs, quaſi clavis transfigeret manus beneficia largientis? *Vehementiam explicat Sic*, exclamat Saa hic: igitur proprio filio ſuo non pepercit, ut hominem è barathro vindicaret; merita cuius ab auctore formationis, & reformationis deſciverant, & potiùs odio, quàm dilectioni fomitem miniſtrabant: haccine reapſe vehementia amoris flantis frigore ignem: aquæ multæ averſionis non potuerunt extinguere charitatem: & ut inſinuat Sapiens, *Mirabile erat: in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Mirabilem quidem: cùm in pectoris humani, maris iniuriarum abyſſo, quodam tempore, ſupra virtutem ignis amoris exardeſceret undique: igitur (iam dixerat) *pro fonte quidem ſempiterni fluminis, humanum ſanguinem* dedit etiam ingratis. Hæc nanque vehementia amoris.

Ioan. 3. 16. — Chryſ. — Vehementia amoris in quo? — Saa. — Sap. 16. 17. — Ibi. 11. 7.

Sed quid? Nonne cenſeretur ſtudium amoris ſublimis, & par fidei creditæ demonſtrationis, propter hominem in mundum mittere Spiritum Sanctum, ſicut mittere Filium unigenitum, cùm ille ſit amor eſſentialis, in quo ſumma indicatur amoris? In ſubſtantia, ſive ſubſtantialiter idem. In attributo perſonali, ſeu proprietate characteriſtica, non ita. Verùm & quare? Spiritus Sanctus eſt Patris, & Filij eſſentialis dilectio: Filius ut ſpeculum & imago Patris, Sapientia, ac Ingeniti Ratio: & inter rationem infinitè ſapientem, inter voluntatem eſſentialiter amantem, inter abdicationem rationis, & ceſsionem voluntatis, ut magis, ac magis exceſſus amoris exprimeretur vehementiæ; unice *Ratio* decernitur ſepulturæ. Sic amor divini pectoris finem attingit, quia ſic dilexit.

In eximio amore teſſera, rationis, & ſapientiæ ſepultura.

5 Clareſcat ratio etiam in ſepulchro. Eſtò voluntas libertate florens, ſit charitate ſublimis, & ſacrificium amiſſæ libertatis habeatur magni in altari dilectionis, cùm voluntas libere ſpontaneèque cedat, ubi ingratitudo fidem eius crudeliter iugulat; tamen diligere, quin etiam ratio vigilans ſubiectetur; eſt ſanè inquirere rationem, ut diligatur: ſed amor ratione caret, dum vehementer diligit: unde minùs creſcit, & creditur incendium pectoris conflagrantis, habente voluntate leve motivum rationis, ut voluntas captiva ſacrificetur; quàm habente rationem ſecum, ut illam obliviſcatur.

Nõ amiſſa libertatis, ſed rationis, eſt character charitatis.

Ut quid (Patri voce magna exclamando, dixit humani generis Vindex in cruce, & proximus morti) *dereliquiſti me*? Me? Sapientiam, & Rationem tuam? Ut quid? Ut oſtenderet amoris exceſſum, in id, pro quo filius patiebatur, genus humanum. Huiuſmodi querela rationis indicat extremam dilectionem Patris. Si filium non relinqueret; ut hominem diligeret, rationem haberet. Diligere ſtante ratione, eſt debitum voluntatis; verùm ratione fluxà, eſt ſplendor flammarum cordis ardentis: & ſic dilexit propter nimiam charitatem; ut Filium ſuum dereliquens, vel rationem ipſam daret in mortem.

Matth. 27. 46. — Stãte ratione, minimè magnus.

Modò perſpicuè ſpectatur mirabilis undique Divinæ dilectionis demonſtratio, in eò quòd mittitur Filius, & non Spiritus Sanctus. Voluntas fertur à rebus, ſed eſt aliquid quo fertur. Ratione mortuà, & ſepultà, amor ſeipſum intendit reſpicere, & diligere tantùm propter amorem. Movetur ſine motivo, ſiquidem amor ſatagit amoris affectu: & in mirabili exceſſu, ut ſic nimis diligatur; per voluntatem tantùm ratio mortua ſepelietur.

Sepelienda eſt.

6 Ultrà progredi neceſſe, dum amor procedit ultrà. Verbum caro factum mittitur in inferiores partes terræ, ſed manens in Patre, cùm luſtraret mundum; ſiquidem *Verbum erat apud Deum.* Deſcendit, ut homo fieret propter nos homines, & propter noſtram ſalutem; & tradidit ſemetipſum in mortem, ut morte illius, & paſsione ſacrà, tanquam in ſanguine agni tunderentur corda, & abluerentur crimina; verùm quanvis queratur derelicta, aſcendens in crucem, ratio manſit apud Deum Patrem. Vide Maldonatum hìc. Ad quid ergo huiuſmodi expreſsio, ſi Pater, & Filius unum ſunt? Scitur utique: verùm non vacat myſterioſo arcano, quòd ſit apud Patrem natus, dum queritur derelictus. Perpende: ſi eſſet poſsibile, quòd Pater maneret ſine ratione, videretur amare quod neſciret: ratione manente apud eum, hominem, quem ingratum agnoverat, & agnoſcebat, amaret: verùm propter charitatem, filium tradidit in mortem: equidèm cùm amor non magnus, quia cæcus, ſed quia libenter excæcatus; Filius qui & ratio, apud Patrem manet, & propter amorem ſtante ratione ceſsit: igitur non plus ultra in dilectione; dum ratio habetur, ut ipſa propter eximiam dilectionem ſubijciatur.

Ioan. 1. 1. — Non plus ultra amoris, habere ratiõe non ut habeatur, ſed ut propter voluntatẽ ſubiectetur.

In

7 In ipſa Chriſti demonſtratione maioris charitatis, ſtudioſè ſcientiam Ioannes expromit. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet dilexit.* Sciebat futura, nec frixit flamma.

Ioã. 13. 1.

——— *Sternam & evertam omnia.*
Amor timere neminem verus poteſt.

Senec.

Dicit Senec. de Cupidine in *Medea.* Sciebat quiſnam eſſet, qui traderet eum. Sciebat inſidias, Iudæorum technas, traditoris vafriciem, diſcipulorum timorem, & cunctorum hominum ingratitudinem. Hæc omnia ſciens, vehementer amabat, & præclarè dilexit, quoniam ſciebat. Qui ratione diligit, cognoſcit: ideo diligit: de Chriſto appoſitè dicit Ioannes, quòd *Sciens dilexit*; quia dilexit adversùs id, quod ſapienter cognovit.

Diligit Chriſtus adversùs id quod ſapienter cognoſcit

8 Spectabilis ſanequàm fides noſtra coruſcat, dixit Paulus: ſiquidem etſi ſenſus abundet, deprimit omnem altitudinem ſcientiæ *adversùs ſcientiam Dei*; & propter Chriſti ſtudium, *in captivitatem redigentes omnem intellectum.* Aliqua dubia prætermitto, diſcutienda opportuniori loco. *Adversùs ſcientiam captivantes intellectum.* Stylus ingenioſiſsimus? *Amans multa mentitur ſibi*: ait Cordubenſis in *Florib.* Vis amoris commendatur amica charitate; ſiquidem propter illam ſcientia opponitur intellectus ſcientiæ. Diligere quod ſcitur, indicat amorem duci ſapientià: ſed diligere adversùs id, quod cognoſcitur; exprimit ſcientiam dirigi cæca ignorantià, cùm ſcientia ſubeat (ſe contra) intellectum diligentis; & ratio ſubſit in obſequium voluntatis: at cùm huiuſmodi cognitionis ſubiectio ſit amoris maxima, demonſtratio; habetur ratio vincta, & in ſapientiam ſapientia: quippe intellectus in obſequium captivatur, adversùs idipſum quod ſcienter cognoſcitur.

2. Cor. 10. 5. — Senec. — Captivatur intellectus.

Iam ergò Pauli authoritate luceſcit amoris præclari Aſſertoris N. ratio, cùm nullam in hominibus inveniret dilectio. Sciebat pervicaciam pectoris ſaxei, & fragilis hominum, minimè mereri Divini cordis obſequium. Sciebat profectò, ſed diligenter amabat. Quomodò firmiter diligit, ſi cognoſcit? Quia inſigniter diligendo dilexit: ſiquidem fidei amoris ſtudium maximum, redigere adversùs ſcientiam in captivitatem intellectum. Amare, & non ſapere, non eſt amor, ſed amoris languidi affectio; qua ſe ſæpe, & non aliud voluntas diligit: huiuſmodique flammam quaſi manu attrectante, charitatis ignis nihili pendet. Amare & ſapere, amoris eſt officium, quo ſapiens ſtudet, quali ingenio amet, adversùs id quod intelligens cognoſcit: & Chriſtus cùm dilexiſſet, diligit captivans ducem rationem, ſequens etiam ductam voluntatem; quoniam fortior flamma, qua ſubmittitur ratio adversùm ſcientiam cognoſcendo; quàm quæ rationem ad obſequia invenerit, vehementiſsimè amando.

Amor ſine ſcientia adversùs ſcientiam non eſt amor.

9 Cecidit humi, oppetens acuta veruti cuſpide ſemimortuus in quadam levi commotione apud Capitolium Conſul Titus Manlius, quem meditanter ſubdolè ſauciavit & filius: qui quidem gloriabatur lætanter, cùm in pectore paterno aperuiſſet ſpiculo portam, qua parens purpuream exhalaret divitem animam. Ferunt, non excogitatas iure huiuſmodi crimini pœnas, quia cunctis aggreſſor minimè ſatisfacit: Ulpian. D. *lib.* 48. *tit.* 9. *leg.* 7. vel quia ſcelus ab homine abeſt (*Summa enim prudentia altiſsimi viri, & rerum naturæ peritiſſimi maluerunt, velut incredibile ſcelus, & ultra audaciam poſitum, præterire; quàm dum vindicant, oſtendere poſſe fieri.* Hæc Seneca *lib.* 1. de *Clem. cap.* 23.) Filius conſultò furens præcordia tranſadigit, quia lege pater vitã illius ſolutiorem conſpeſcuit. Monitum ab amicis, filium vulnus temerè confeciſſe, & morte patris de illo meriti impudenter exultare; quapropter quia ſanguinis tenuitas de mortalitate monebat, & ſepulchrum guttulis in terra ſcribendo ſignabat, illius familiaribus videbatur opportunum, vel teſtari, vel ſaltem nuncupare teſtamentum. Acquievit: notarium vocavit, & viva voce dixit: *Ego Titus Manlius à filio ſaucius, morti proximus, ſed compos mentis, ſexto Kal. Aprilis, coram Senatu & R. R. omnium bonorum, tàm utenſilium, quàm ædium, avitorum, paternorum, & caſtrenſium hæredem inſtituo* ::: Senatum? dixit Notarius. Neutiquàm. Populum? reſponderunt amici. Nequaquàm. Imperatorem? inculcant laterones. Minimè. Quemnam ergo? *Filium* (dixit) *à quo petitus ſuccumbo.* Filium? filium? mirati vociferantur. Iam ergo ſcelera remuneraris, ut floreant iuvenes addicti flagitijs. Mirabile næ quòd perduelli, & perduellioni hæreditatem duis. Filium criminoſum ſucceſſorem! Cedo. Pro bono utique ſecùs facturus. Scis filium? Dic ſodes: ille percuſsit. Scio. Nec coërcuit nomen paternæ venerationis: & obibit hæreditatem ex aſſe? Obibit. Signetur ultima voluntas amore paterno: *Filium* (inquit) *quem genui, non quem expertus ſum, hæredem inſtituo.* Videris Plutarch. & refert Valer. Maxim. de *Fulvio, clari nominis viro, atque magnæ dignitatis*, lib. 5. cap. 9. n. 3. Circumſpicit pater quòd dedit eſſe, ut Dij faxint & proficere: fertur voluntatis allectu, quin cæſpitet in cognitionis anfractu. Cognoſcit

Paterni amoris ſpecimẽ. — Ulpian. — Senec. — Plutar. — Quanvis perperus, ab amore nõ abdicatur & filius. — Plutar. Valer. Max.

ſcit ſceleratum filium, & ignoſcit. Filium tortoribus mancipandum ſcivit : verùm cùm amoris flamma luceat, haud ſubſequendo rationem, quam agnoſcit, ut charitati inſignis pectoris exhiberet & fomitem ; rationem & intellectum in voluptuoſam redegit captivitatem : ſiquidem filium quem genuit, vel ſceleratum, hæredem inſtituit.

20 Iam iam intellectum noſtrum, & oculos lachrymis ſpiritus veritatis illuminat. Recolitur memoria paſsionis eius, qui plura geſſit, quàm quæ ſapientia humana vanidè finxit. *Saucius Chriſtus amore, & ingratitudine.* Lethaliter ictus vel hominis pervicaci ingratitudine, vel eius cordis contentioſiore amore (ſinguli intenderunt arcum, rem amaram, ut morte turpiſsima ſagittarent dulciſsimam vitam : altum quidem vulnus, & exaltabitur Deus) iam dudùm ſaucius cura Dominus Ieſus propius morti, vulnus alit venis, & cæco carpitur igne. Ioã. ubi ſupr. *Sciens quia venit hora eius, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*, & in qua moriens diligeret teſtator ultra mortem ; diſpoſuit huiuſmodi, ultimam & præclaram voluntatem. Sic enim Notarius ſcriba doctus ſcribit. *Ante diem feſtum Paſchæ* (tempus ſignat, pòſt, pleniſsimam cognitionem) *ſciens Ieſus* mortis articulum, *& quiſnam eſſet, qui traderet eum*, ſubſcripturus *teſtamentum* divino *ſanguine*, quod ratum in cruce ; legaturus *mandatum novum*, ut charitate mirabili frueretur ſplendore *novi, & æterni teſtamenti.* inſtituit, hominem ::: damnandum? In barathrum detrudendum? Nullo modo. *Nõ reſpexit amor Chriſti à quibus moriebatur, ſed pro quibus.* Cunctorum theſaurorum, qui in Sponſa Eccleſia ſervabuntur, & divitiarum quæ è pectore tanquàm lythrum egredientur, averſum hominem conſtituit hæredem. Hominem, dulciſsime Pater! Hominem. Scis? Scio. Ingratum, audacem, ſceleſtum, flagitioſum non agnoſcis? Agnoſco. Quid ergo? Hæredem inſtituo, non filium, quem improbum agnovi, ſed quem genui. Meum agnoſco rebellem, & exerceo ſupereminentem charitatem ; cùm minimè attenderet, ut ait Auguſtinus *Tract.* 31. in Ioann. (Auguſt.) *Quòd ab ipſis moriebatur, ſed quia pro ipſis moriebatur.* Filij rebelles abdicantur ; modò ad bona mali iure hæreditario à teſtatore admittuntur : ideo *Teſtamentum novum* ; (Luc. 22. 20.) tum quia ſcienter ſepelivit intellectum; tum quia quod filij dociles ambiunt, patris amore etiam iniuſti capeſſunt. Dicet omnibus latro, (Luc. 23. 43.) dum clamabit in acriori tormento, & mortis articulo : ſiquidem amoris, & charitatis nobile ſtudium ; agnoſcere filium licèt rebellem, & ſceleratum.

Recludit ingenium Pater filij prodigi, ut huius furfuris ſurgant ab iniquitate, in ſe reverſi, quia vitijs abſe alienati, extra ſe ſunt. *Hìc filius meus mortuus* : ait. Miror, quòd dicat *hic*, de illo ; qui vixerat extra ſe : cùm illum, quem pœnitentia ad meliorem mentem dirigit, eumdem eſſe pœnitentia neget. De quo Nos aliàs. (Luc. 15. 24.) *Hic filius meus mortuus.* *Pœnitentia inſiciatur trãſgreſſorem.* Mortuus erat, ſed acceſsit ad patrem, ut eius indulgentia explicaret amorem : & expreſsit, quia filius placuit, & hic de ſceleribus erubuit: ſiquidem mirabile inter lineamina flagitiorum, quòd niſi pater agnoſceret ductus amore, natum. Frater ægrè tulit. Sanè : non genuit : & pater gaudens occurrit illi, quem expertus eſt rebellem, ut ille confuſus agnoſceret paternum indelebilem amorem : quippe nulla amplior demonſtratio præcordiorum, nec officioſius ſtudium ; quàm ita ingratum recognoſcere genitum. *Amor recognoſcit genitum, vel ingratum.* Pater non laceſsitus filium amplectitur, & ad epulas qui fuerat mediaſtinus invitatur : officium utique patris: verùm permanente perduellione, pugnaci crimine, & laceſsito patre! Extremum ſanè præclariſsimi amoris.

11 Illo tempore, quo officium erat imperare, non regnum ; dum ſui priùs, quàm ſuorum renidebat dominium, & nemo quantum poſſet adversùs eos experiebatur, per quos cœperat poſſe ; nec erat cuiquam aut animus in iniuriam, aut cauſa, cùm privatas minimè vindicaret periſtroma ; & benè imperanti, benè pareretur ; ſiquidem non affectus, ſed ratio principabatur ; ubi nihil Rex maius minari malè parentibus poſſet, quàm ut è regno pertæſus abiret (vide Senecam *Epiſt.* 90.) (Senec.) *Deſcriptio optimi principis.* repentibus vitijs, furenter & furtim Abſalom in tyrannidem vertit regnum Iſraël. Quæ, qualia ſcelera patravit? Fallor profectò : quæ non? Perſecutus eſt & patrem profugum, ut placidè in aula obtineret regale caducum. In magnis voluiſſe ſatis non fuit, ſed templum Iani aperiri neceſſe, verùm in ruinam; quia cauſa (mirum!) ut par erat, invenit ſortem adverſam. Igitur collatis ſignis, conſertis manibus, infauſto alite, pependit in quercu ; ubi cor eius vanum triplici cuſpide meritò figitur. *Nunciatum eſt patri*, qui mœrore percitus, flens exclamabat : *Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi : quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* (2. Reg. 18. 33.) Quorsùm tendit fletibus pater? Probi eſt & mala ferre, & turpia non ferre. Quouſque prævalebit iniquitas? Donec frangat & charitas, ac improbitas patientiâ fatigetur. *Prævaleat charitas, quouſque ipſa fatigetur improbitas.* Ideo ſervandus inimicus Præfectis exponitur; ut poſsit fides paterna experiri, utrum rebellis infenſus permaneret in crimine perduellionis; an verò compunctus gratiâ patris, frangeretur obſequijs.

Adhuc ulteriores terminos ſcrutatur of-

ficium

ficium charitatis, ut ad bonam frugem revocetur præceps conſilium hominis. Votis amor conatur adipiſci, quod nequit comprehendi : ſiquidem dum infeſtus infauſtè moritur ; optat amans innocens & laceſsitus, ut pro illo morituro moriatur: victoriamque reputat tolerare diſpendium; dummodò lædens nullum experiatur incommodum. *Amoris lucrum, vel ingrati cõmodum.* Prætereà: Spinther prætioſiſsimum vita eſt : maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Qualis pro inimicis charitas? Transfertur equidem de vita ad mortem, ut inimicum diligat quaſi fratrem, & hæredem. Hoc ſtudium præfigitur in Davide, vel à filio, exauctorato diademate. Hiat filius, quod ultrò perferret patris affectus, tanquàm qui invenerit ſphæram, ubi poſsit exprimere charitatem eximiam: ſiquidem nulla maior, ut valeret protervus reſipiſcere; quàm pretioſioris vitæ monillis periculum facere. Deinde. Vitam commutare cum morte Abſalomis, videtur impoſsibilis conatus amantis, inefficax ſtudium, & officium omninò phantaſticum, in cuius appetentia claudicat propoſitum diligentis; ſiquidem probatio charitatis eſt exhibitio fidei, & operis. *Charitas appetit impoſſibilia.* Proculdubio : ſed enim Davidi negatur optio, & pro articulo rerum exprimit ampliùs charitatis conatum : igitur ut vigeat paterni pectoris lucida flamma; urgetur amore, appetere impoſsibilia. Vide *Tautolog.* 5. *Didaſc.* 10. *num.* 4. & *Didaſc.* 20. *num.* 22.

12 Denique exclamationis verba, lachrymis rata, diligenter obſervanda. Pro nænijs præfica anima de Abſalome dixit: *Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi.* Abſalomus filius! Haud intendit in iniuriam integerrimus iudex, ſed filium agnoſcit miſericors pater. *Quid deceat, non reſpicit ius charitatis, & paterni pectoris.* Filius eſt, etſi deſcivit : meus utique, etſi deceſsit : torquentur viſcera pro filij iuſtiſsima pœna. Scis filium? Scio : & querulus lamentor filium, quem produxi ; non quem hucuſque & rebellem introſpexi. *Fili mi Abſalom.* Et commovendo regnum, & ſubvertendo populum? Etiam : non poteſt non eſſe pater. Si ſuperſtes, iterùm machinationibus percelleret diadema patris regis. Ita : cæterùm quid erit, quid debeat, quid poſsit non reſpicit ius amoris: & propter perduellionem eſtò, filium ; in captivitatem pater redactum exhibebit intellectum : ſiquidem per quem natus, & minimè contemplatur, quem expertus. Hæc enim ratio amoris & ſcientia voluntatis. *Aſcendit ſuper Cherubim*, ait David, *& volavit.* (Pſal. 17. 11.) Ideo Chriſtus caput pectori admovit: (Ioã. 19. 30.) quaſi victoriam vergendo ſignaret pectoris; ubi inclinaverat ſapientiam capitis. Cherubim dicitur plenitudo ſcientiæ ; ſuperaſcendit, & ulteriùs volavit: quippe eius ſtudium, dum dilexit hominem ; eminentioris ſcientiæ tranſultavit plenitudinem.

13 Perpende in inſuperabili conſtantia, dum Ratio Patris eſſet in humana natura, auctoritatem Pauli diſcipulos commonentis, iuxta amorem exemplaris. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu : qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt.* (Philip. 2. 6.) *Sentite* : ideſt boni conſulite Ieſu-Chriſti obſequium : hæreatis ingenio, laboretis ſenſu, deficiatis eloquio : bonum eſt in demonſtratione inanitionis, quòd etiam rectè de Domini maieſtate ſentiatis : ita ut nec de Incarnatione Domini aliquid falſum, nec de Deitate aliquid intelligatis indignum. Hæc Leo Pap. & *Serm.* 11. de *Paſſ.* & 7. de *Domin. Nativit.* (Leo Pap.) Deum pati, & ita pati! inauditum. Pro hominibus vel ingratis? Taxat intellectum. In cruce! Laborat ſenſus : & ita benè ſentimus ; quamquàm quæ non rapuit exolverit. *Fides amoris præclara, videtur hominibus ſtultitia.* Quodcunque rapitur, facilè profunditur, ſiquidem & pretioſum habetur parvi momenti, quùm leviter captum levi expendatur, & qualibet occaſione : at Paulus iubet ſentire de Domino in bonitate cordis, exhibens inſignis demonſtrationem charitatis ; ne arbitrentur maieſtatis rapinam, contemplantes tot cruciatibus Deitatem pro hominibus proſtitutam.

14 Secùs operatur Lucifer : ſed enim innoteſcunt cogitationes eius, quoniam vanæ ſunt. Conſule pulchra apud Gregor. *lib.* 34. *Moral. cap.* 21. & Bernard. *Homil.* 4. ſuper *Miſſus eſt.* (Gregor. Bernard.) Cùm in forma Dei non eſſet, rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſimilem Altiſsimo : ſed ſemetipſum exinanivit, formam draconis accipiens, in ſimilitudinem ſerpentium factus, & in inferno ſepultus. O præclarum opus! Perperàm ceſſit. At ſemetipſum exinanivit? Sane. Scientiam & iudicium in altis habitans evacuavit. *Perdidiſti ſapientiam tuam* : illi inſultans, dicit Dominus. (Ezech. 28. 17.) Verùm quomodo? Cherub dicitur, dum Seraph à natura ſignatur. ibid. v. 14. Hic exponitur plenitudo charitatis, ille verò intellectionis : quo pacto igitur & naturam evacuavit, & à ſapientia in plenitudine intellectionis exceſsit? Quomodò cecidiſti? Philauta faſtoſitate. Scire amorem eſt ſcientia, quia plenitudo legis eſt charitas : diligere ſcientiam in cathedra Dei, ſtultitia; quia plùs ſapere quàm oportet ſapere, non eſt ſobrietas : & à charitate Lucifer excidens in inflationem, ſeſe ſapiens demonſtravit inſipientem ; ſiquidem cùm ſcire deberet amare, dilexit ſcire. *Scientia amoris eſt amare, nõ ſcire.* *Quid poſsit* in iure amoris, *& quid erit* reſpiciendo

non

non reſpexit: honori conſuluit; & meritò decidit proterendo ſapientiam, & exhibendo ſtultitiam: igitur non magni amantem, ſcientem diligendo ſapere, ſed contra ſcientiam ſcientem diligendo diligere. Ius in amore eximio invertitur, verùm dilectio exaltatur. Adversùs ſcientiam & cognitionem micat propoſitum charitatis; quia quid poſsit, quid debeat, quid erit, haud reſpicit ius amoris.

DIDASCALIA V.

Qui aliquo auxilio ſuſtinetur, poteſt cadere.

Senec. *Sapiens ſibi ſufficit.*

1 SIc Seneca *Epiſt.* 92. ambiens inter homines hominem. *Is beatus eſt* (inquit) *quem nulla res minorem facit: tenet ſumma, & ne ulli quidem, niſi ſibi, innixus. Si aliter eſt, incipient in nobis multum valere non noſtra.* Faſtus inſipientium reprehenſione carpitur, & rubore aſini (ſi erubeſcit) exuvijs leonis exultim pungitur. In utramque aurem ſocordes inſcitià, totis præcordijs extertunt aliorum improbà vigilantià. Quid ſi Homerus aliquando dormitat? Dicit Horat. *lib.* 1. *Epiſt.* 3.

Horat.

—— Si fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum,
Furtivis nudata coloribus.

Proijciunt ampullas, & ſeſquipedalia verba. Evanidè extolluntur. Iccircò ut utres inflati aërem deponant, & ventoſas cogitotiones expellant; opus eſt, ut dextrè pungantur, vel callidè fodicentur. Parum curant de oleo lucubrationum: ſtudium ineſt de ſplendore lampadum. Verùm enim ſi micat inſtrumentorum adhærentium, oſtentatio; clanculùm omnibus dicunt, *date nobis de oleo veſtro*: miſeremini mei, ſaltem vos amici mei. Niſi igne alieno lucernæ foveantur, horum literarum virginum & lampades extinguuntur. Clamant, & exclamant (Proh dolor! Adamanta movebunt.) præmiorum honoriſque inveniſſe portam clauſam; cùm inter apes fuci profeſsi ſint ſtultitiam. Stipem eruditionis oſtiatim ſine fronte emendicant; & de micis, quæ cadunt comedentes, exultant. Verùm ſi obtinent? Quid igitur? *Pauper ſuperbus*: imò ingratificus.

Matth. 25. 8. *Mendici ſcientiarum.*

Eccli. 25. 4. Ibid. 27 12.

2 *Homo in ſapientia manet ſicut Sol: nam ſtultus ſicut Luna mutatur*: dixit Ieſus Sirachus. Unumquodque eſt luminare: diſcrimen inerit penès magis, & minus. Cur igitur ſi lucent; ſapiens Soli, ſtolidus æquiparabitur Lunæ? Iudicium Plinij *lib.* 2. *cap.* 9. quia aptum, maturè diſcutiendum. *Multiformi hæc (Luna) ambage torſit ingenia, creſcens ſemper, aut seneſcens: & modò curvata in cornua, modò æqua portione diviſa, modò ſinuata in orbem: maculoſa, eademque ſubitò prænitens, immenſa orbe pleno, ac repentè nulla. Iam verò humilis, & excelſa; & ne id quidem uno modo, ſed aliàs admota cœlo, aliàs contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Auſtros deiecta.* Nulla forma ſtulto aptior, & ſcitulo vividior; igitur illius picta, & fucata ſapientia, quæ ſpectabilis intimis radijs Solis videbatur, & præclara; ut moveat cornicula riſum (mirantibus orbem aſcititio lumine plenum) furtivis ſplendoribus ſenſim nudata, videtur per ludibrium repentè nulla.

Plin.

Quare Luna ſymbolū dicaculorum?

Cæterùm quomodò nulla? Idem ibidem: *In totum mutuata à Sole luce fulgere.* Nil luminis per ſe habet: & licèt in cornua curvetur, & in hemicyclum dividatur, creſcens, seneſcens; excelſa, humilis; in Aquilonem, in Auſtrum; contigua mundo, admota cœlo; ſi fulget luce mutuata, quid mirum ſanè, quòd appareat nulla? Coruſcat inſipiens, dum lucet, Thraſo: dum latet, Irus: Protei faciem induens, creſcens, & seneſcens. Horat. *lib.* 1. *Satyr.* 1.

Idem. *Videtur, & magni & nulli.*

Horat.

Mendici, mimi, balatrones id genus omne.

Quid igitur, qui ita fulſit, ut oculos faſcinaret? Centum oculos nox occupat una! Irus erit ſubitò, qui modò Crœſus erat: ſiquidem cùm non habeat unde lumen, ſplendoremque mutuetur, ſtultus ſciolus ſicut Luna mutabitur.

His carpuntur Concionatores è trivio, qui Sacræ Paginæ prima elementa neſcientes, buccas inflantes, ſtultitiam redolentes, dum multiplici ambage torquent ingenia, & multoties teſtimonia; pro elenchiſque deligunt ſcriptorum errata, vel ludrica, vel prothymè expoſita (quos taxat illud Iuvenalis *Satyr.* 6. v. 456. in fœminas:

Iuven.

———— Turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circundedit, & cum
Auribus extentis magnos commiſit elenchos.
Interea fœda aſpectu, ridendaque multo
Pane tumet facies.)

Vociferantur, manibus plaudentes, & crepitu earum aſtruentes ingenium, præut occurrerit, utut placuerit, ab alijs mutuatas, plerunque non intellectas, vel à ſe confictas (quod patet) cultu eruditionis devenuſtatas, aperta fronte conciones proferunt: pro roſtris declamaturi ſuggeſtus ſcalam aſcendunt, io cupiunt & euge, quaſi qui ingenioſa, alta, ſublimia dixerint, cum Sacras Literas nec noverint, nec duntaxàt è limine ſalutaverint. Meritò igitur Lunæ horum ſimilis inſania; ubi incipiunt in eis prævalere non ſua.

Concionatoris ſcioli.

3 Quid enim de caterva Theologorum autumandum, dum fulgent (fallor) bracteantur (inquam) infulis, ut Doctores barbà tenus? Ipſi ſibi dicunt blandimina Horatij *lib.* 1. *Epiſt.* 1. v. 106.

Horat.

Ad ſummum ſapiens uno minor eſt Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Et addere iurè poſſumus.

Idem.

Præcipuè ſanus, niſi cum pituita moleſta eſt.

My! In terminis pertritis, impensè iteratis, & plerunque non perceptis (ſiquidem crebrò de vocibus quæſtio) in crepitaculis nominum (quod ſubtile profugium) ab illis motis, inverſis, cuilibet obiectioni paratis, vertitur multorum ignorantia, quaſi ipſis & penes ipſos eſſet encyclopedia. Dicat quid alter: Ego enim audio, non audeo. *Venit iuvenis ſtultus ad templum* (ait Franciſc. Petrarcha *lib.* 1. *de Remed. utriuſq. Fortun. Dialog.* 12.) *& præceptores illum ſui prædicant, celebrant ſeu amore, ſeu errore. Tumet ille, vulgus ſtupet, plaudunt affines, & amici. Ipſe iuſſus in cathedram ſcandit, cuncta iam ex alto deſpiciens, & neſcio quid confuſum murmurans tunc maiores certatim ceu divina locutum, laudibus ad cœlum tollunt, tinniunt interim campanæ, ſtrepunt tubæ, volant annuli, figuntur oſcula, vertici rotundus & niger pannus imprimitur. His peractis deſcendit ſapiens, qui ſtultus aſcenderat. Mira prorsùs traſformatio, nec Naſoni cognita!* Hucuſque Petrarcha. Qui quidem dicta videtur ſumpſiſſe ex Gregorio Nazianz. *Orat.* 24. ubi ait: *Conſpicio ſapientes, diei unius momento exortos, ac manuum impoſitione Theologos factos: quibus ad ſapientiam comparandam ſuperque eſſe videtur, ſolam voluntatem afferre.* Tagis inſtar è pulvere ſurgunt:

Theologi barba tenus.

Franc. Petrar.

Greg. Nazianz. *Impoſitione pilei.*

Ovid. *Tages quis?*

Sumere mox hominis, terræq́ amittere formam
Oraque venturis aperire recentia fatis.

Plebicula ſtupuit, quia è terra claruit. Vide Cicer. de *Divinat. lib.* 2. & Ovid. *lib.* 15. *Metam. Fabul.* 47. Mythologiam in ineptos Theologos dente caninò concinnat Natalis Comes hic: cuius teſtimonio ſuperſedeo, quia nimis acre. Gratulentur.

Verùm audiendus eſt Seneca, qui ut vulgus compeſceret, dicens frequenter de ſtulto, quaſi de pentathlo.

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo:
Ita tenax.

In doctos phaleratos inſurgit *Epiſt.* 94. ubi: *Si ludum literarum intraveris, ſcies, iſta quæ ingenti ſupercilio Philoſophi iactant, in puerili eſſe præſcripto.* Methodum etiam notat *Epiſt.* 33. *Turpe eſt* (ait) *ſeni, aut proſpicienti ſenectutem ex commentario ſapere. Hoc Zeno dicit: tu quid? Hoc Cleantes: tu quid? Quouſque ſub alio moveris? & impera & dic quod memoriæ tradatur. Aliquid & de tuo profert. Omnes itaque iſtos nunquam Auctores, ſemper Interpretes, ſub aliena umbra latentes nihil puto habere generoſi. Memoriam in alienis exercuerunt. Aliud eſt meminiſſe, aliud ſcire. Hoc dicit Zeno, hoc Cleantes. Aliquid inter ſit inter te & librum. Quouſque diſces? Iam & præcipe. Quid eſt quare audiam, quod legere poſſum?*

Senec.

Criſis Senecæ.

Idem.

4 Modò ad Lunam, ut eius mutationibus ſocordes illiterati, vel reſpiciant ſapientiam. De illa seneſcente dicitur, *Silere.* Plin. *lib.* 10. *cap.* 27. & *lib.* 16. *cap.* 39. (unde illud Virgilij *lib.* 2. *Æneid.* v. 255.

Plin.

—— Tacitæ per amica ſilentia Lunæ.)

Virgil.

Cantare, dum implet orbem & obtinet ambitum lumen. Vide Vincent. Chartar. de *Imag. Deor.* fol. 342. Quapropter Hieronym. Falletus accinit:

Vinc. Chart.

Fallet.

Hac Phœbus, Phœbeque ſoror, duce & aurea cœli,
Iſta ſuos agitant conſtanti fœdere motus.

Cantat, ſi ſplendet; ac expirante luce, ſilet. Appoſitè ergo fucata eruditio mutuatis radijs, concolor erit luminari fulgoribus aſcititijs: quippe ſi cantant ſcioli ſapientum gralla exultantes; fracto ſcipione retrocedunt conticentes.

Quid cātus & ſilentia Lunæ?

Ultrà. Duos hemicyclos ineſſe corpori Lunari, quorum alter lucidus, alter opacus; vel totum corpus eſſe pilam altera parte candentem, altera cæruleam; autumant Vitruvius *lib.* 9. *cap.* 4. & Iacobus Dalecampius in Plin. ubi ſupr. Ita ſe gerunt dicaculi & ſcioli in orbita literarum, præut incidunt in materiam tenebricoſam, vel lucidam. Cantant, vel ſilent mœrentes, Lunæ corpus imitantes: etenim qui caligine obicum enerviter obmuteſcunt; circa perſpicua adversùs doctos inſtar hirundinum garriunt.

Corpus Lunæ an totū diaphanū? Vitruv. Dalec.

Deinde. Plurimorum paradoxum fuit (vide Plin. ubi ſupr. *lib.* 2. *cap.* 9. & Senec. *lib.* 2. *Q. Natur. cap.* 5.) Lunæ lumen aquis Oceani paſci. Hoc delirium haud ludicrum in ſcholis, aſpectis ſcitulis: igitur expenſis aquæ ſapientis, Oceani pleniſsimi redundantis, Lunaticorum foventur quales quales ſplendores. Hiſpan. *De agenos trabajos ſe ſuſtentan muchiſsimos lucimientos. Lunaticorum* meditatò dixi, quoniam abſque huiuſmodi adminiculis remanent ſine luce. Nos vernaculè, *A la Luna.* Præut Sol ſapientis irradiaverit, imperitus ſibi lucem arrogans, fulgebit. Lunaticus eſt, & malè patitur; cùm ſæpe oraculo cadat in ignem ſplendoris, & crebrò ſine illo in aquam frigiditatis.

Stultus Lunaticus eſt.